

Observationes metricae in poetas elegiacos Graecos et Latinos.

Pars altera.

Caput III.

De hexametro epico et elegiaco.

§. 8.

De hexametro epico et elegiaco Latino.

Postquam in fine §. 6 prioris de metro commentationis proximo anno editae satis demonstrasse nobis visi sumus, quantopere Ovidius omnes poetas et Latinos et Graecos formarum elegantia superet, nihil naturae magis consentaneum est, quam ut hujus poetarum principis carminibus utamur, ubi demonstrare nobis proponimus, num quid discriminis inter versum heroicum et hexametrum elegiacum intercedat necne. Commodum praeterea ex poematis Musae Ovidiana ad nos eo venit, quod Naso tantam utriusque versuum generis materiam nobis praebet, quantam in ceteris poetis, quos tractandos nobis sumsimus, frustra quaesiveris. Quo largior autem versuum est copia, eo melius facilisque artem, quae adhibitis numeris demonstrare studeat, quae rationes inter totum et singulas partes intercedant, eo ducere ut certum aliquid decernatur, multis nostrarum observationum locis probavimus. Sed, quamvis haec ita se habeant, tamen minime opus videtur esse. ab utraque parte in comparationem duci majores numeros, multo plus auctoritatis in eo positum esse censemus, quod efficitur ab altera parte quam plurimis, ab altera quam paucissimis versibus inter se collatis. Quapropter 560 versus Metamorphoseon, quos *Drobischius* §. 12 primae commentationis perscrutatus est, cum omnibus versibus Fastorum, quos aequae ac Metamorphoses Ovidius aetate adulta conscripsit, componimus, ut parvula hexametrorum epicorum copia et amplius hexametrorum elegiacorum numerus in contentionis judicium vocentur. Quibus carminibus ut ita dicam virilibus unum e Nasonis juvenilibus adnectimus, ut

eluceat, quid discriminis sit inter versum heroicum aduluae aetatis et versum elegiacum poetae juvenis.

T a b u l a XXII.

O v i d i u s .

	Hexameter elegiacus	Hexameter epicus.	Hexameter elegiacus.		
Formae.	Remed. Amo- ris = 407 h.	Metam. I lib. vers. 560.	Fastor. I. I-VI (2485-10v.sp.)		
dsss	65	16,0	76	13,6	400
dsds	41	10,1	63	11,25	308
dssd	40	9,8	78	13,9	373
dsdd	28	6,9	54	9,6	214
ddss	56	13,8	60	10,7	304
ddds	34	8,4	45	8,0	184
ddsd	42	10,3	57	10,2	290
dddd	27	6,6	33	5,9	131
sdss	23	5,6	26	4,6	71
sdds	6	1,5	13	2,3	37
sdsd	11	2,7	21	3,75	49
sddd	10	2,4	11	2,0	19
ssss	3	0,7	6	1,1	31
ssds	8	2,0	6	1,1	24
sssd	7	1,7	5	0,9	19
ssdd	6	1,5	6	1,1	21
	407	100	560	100	2475
Principia daetylica	433	81,8	466	83,2	2204
- spondiaca	74	18,2	94	16,8	271
	407	100	560	100	2475
Summa dactylor.	873	53,6	1228	54,8	5343
- spondeor.	755	46,4	1012	45,2	4557
	1628	100	2240	100	9900
Versus daetylici	169	41,5	200	35,71	338
- spondiaci	106	26,0	119	21,25	545
- aequi	132	32,4	241	43,04	1092
	407	100	560	100	2475
Clausulae monosyll.	2	0,5	2	0,4	11
- bisyllab.	182	44,7	306	54,6	1417
- trisyllab.	223	54,8	250	44,6	1048
- quadrisy.	0	0	2	0,4	7
- quinque s.	0	0	0	0	2
	407	100	560	100	2485*)
					99,9

*) Accedunt 10 vers. spondiazontes.

Paucissima quae ex collatis his formis nascuntur discrimina ejusmodi sunt, ut facillime ex imparibus quibus usi sumus versuum numeris explicari possint. Hexameter igitur epicus fere nihil differt ab elegiaco, inseritur potius eodem modo inter cetera Ovidii carmina elegiaca Metamorphoseon ad structuram rhythmicam, quo modo poemata distichis scripta sese excipere priore observationum nostrarum parte demonstravimus. Effecimus enim media fere paragrapho sexta poetarum elegiacorum Latinorum poemata minus dactylice in principio distichi constructa inter opera juvenilis aetatis referenda, carmina autem cum plurimis initiosis dactylicis florenti aetati adnumeranda esse. Ab hac, quam condidimus, lege hexameter epicus non recedit. Tabula supra posita docet principia dactylica Remedii Amoris esse numero minima, Fastorum numero maxima et inter utraque medium fere locum obtinere Metamorphoseon versus. Optimo jure colligi potest, si majorem hexametrorum epicorum numerum contulisset, futurum fuisse, ut numerus 83,2 paullulo augeretur, et sic magis accederet ad Fastorum numerum 89,1, sed ita quoque satis firmatur lex a nobis condita. Quod attinet ad singulas formas, tantulum inter eas intercedere diversitatis tabula docet, ut paene ad nullum redeat numerum. Si quid reperitur dissimilitudinis, non est in priore sed in altera hexametri parte. Versus enim heroicus clausulas bisyllabas praeferit, dum in hexametro elegiaco trisyllabae bisyllabas superant aut eas exaequant. Quod cur ita sit et aliter esse nequeat, nihil facilius intellectu, postulat enim distichon tot clausulas bisyllabas in fine pentametri, ut poeta, licet summus sit artifex, in exitu hexametri elegiaci pluribus clausulis trisyllabis uti cogatur, quam in extremo versu heroico, quem pentameter non subsequitur. Hac discrepantia, quam minimi momenti esse affirmamus, non neglecta, paritur haec lex:

Hexameter epicus Latinorum, excepto bisyllabo fine praeponderante, fere nihil distat ab hexametro elegiaco.

Praeter Ovidium Catulli et Tibulli pauca tradita sunt carmina epica. Ac primum quidem de Catullo dicendum. Versu longo poeta Veronensis carmen nuptiale et epithalamium Pelei et Thetidos composuit, quae carmina omissis versibus paribus et spondiazontibus 430 versus continent; poematum elegiacorum omnium, omissis ejusdem naturae versibus, sunt 311 versus. *Drobischium* auctorem secuti formas versuum epicorum numeris consignamus proxima in tabula, additis clausulis polysyllabis.

T a b u l a XXIII.

C a t u l l u s .				
Formae:	Hexameter epicus.		Hexameter elegiacus.	
dsss	124	28,8	79	25,4
dsds	51	11,9	28	9,0
dssd	15	3,5	23	7,4
dsdd	5	1,2	7	2,3
ddss	55	12,8	28	9,0
ddds	15	3,5	9	2,9
ddsd	6	1,4	10	3,2
dddd	1	0,2	3	1,0
sdss	65	15,1	27	8,7
sdds	7	1,6	14	4,5
sdsd	8	1,9	4	1,3
sddd	4	0,9	5	1,6
ssss	43	10,0	42	13,5
ssds	25	5,8	16	5,1
sssd	3	0,7	11	3,5
ssdd	3	0,7	5	1,6
	430	100	311	100
Principia dactylica	272	63,3	187	60,2
- spondiaca	158	36,7	124	39,8
	430	100	311	100
Summa dactylor.	589	34,2	442	35,5
- spondeor.	1131	65,8	802	64,5
	1620	100	1244	100
Versus dactylici	31	7,2	34	10,9
- spondiaci	260	60,5	175	56,3
- aequi	139	32,2	102	32,8
	430	100	311	100
Clausulae monosyllab.	3	0,7	16	4,9
- bisyllab.	259	56,9	162	49,9
- trisyllab.	160	35,2	133	40,9
- quadrisyll.	29	6,3	12	3,7
- quinque s.	4	0,9	2	0,6
	455	100	325	100

Collati hi versus Catulliani denuo confirmant, fere nihil intercedere dissimilitudinis inter hexametrum epicum et elegiacum, exceptis clausulis bisyllabis, quae apud Catullum quoque in versu heroico bisyllabis hexametri epici superiores sunt. Spondiacos versus et spondiaca principia, quibus praeter ceteros poetas elegiacos

Latinos Catullum insignem esse et ad exemplaria Graeca accedere in priore commentatione demonstravimus, ejus versuum epicorum propria esse, non est quod miremur. —

T a b u l a XXIV.

T i b u l l u s.				
Formae:	Hexameter epicus..		Hexameter elegiacus.	
dsss	36	17,0	33	17,5
dsds	30	14,2	26	13,8
dssd	19	9,0	12	6,3
dsdd	9	4,3	6	3,2
ddss	22	10,4	25	13,2
ddds	17	8,1	15	7,9
ddsd	6	2,8	13	6,9
dddd	5	2,4	3	1,6
sdss	7	3,3	12	6,3
sdds	12	5,7	10	5,3
sdsd	10	4,3	6	3,2
sddd	5	2,4	1	0,5
ssss	15	7,1	7	3,7
ssds	6	2,8	13	6,9
sssd	10	4,8	7	3,7
ssdd	2	0,9	0	0
	211	100	189	100
Principia dactylica	144	68,2	133	70,4
spondiaca	67	31,8	56	29,6
	211	100	189	100
Summa dactylor.	380	45,2	340	44,9
spondeor.	464	54,8	416	55,1
	844	100	756	100
Versus dactylici	42	19,9	38	20,1
spondiaci	68	32,2	72	38,1
aequi	101	47,9	79	41,8
	211	100	189	100
Clausulae monosyll.	0	0	1	0,5
bisyllab.	144	68,2	93	49,2
trisyllab.	36	31,3	94	49,8
quadrisyll.	0	0	1	0,5
quinque s.	1	0,5	0	0
	211	100	189	100

Restabat denique Tibullus. Reperitur in ejus carminibus initio libri IV laus Messallae versu heroico conscripta, quae est 211 versuum. Jam in priore nostra-

rum commentationum fasciculo aperte professi sumus, nos facere non posse, quin novissimo poetarum elegiacorum Latinorum editori, artis criticae peritissimo *Luciano Muellero*, toto animo assentiamur, qui, quod plus semel jam a viris doctis prolatum est, incerti auctoris esse hoc carmen scribit. Sed ne quid praetereamus, in tabula XXIV versiculos illos epicos, qui sub Tibulli nomine feruntur, cum ejusdem poetae primitiis elegiacis supra composuimus, quibus collatis iterum verum fieret, quod initio diximus, miram quandam esse versuum heroicorum et elegiacorum affinitatem. At noli negligere, ex sola similitudine metrica tam paucorum versuum nihil posse colligi de vero auctore, nisi gravior ratio accedit. Mera sane formarum structura laudis Messallae non impedit, quominus a Tibullo profectum esse hoc carmen statuamus, at obstat totius carminis fucata ista, ut ita dicam, et quaesita tractatio, quae, quantumvis refragetur *Teuffelius*, tam dissimilis est simplici et naturali arti Tibullianae, ut cum Viro illo doctissimo facere non possimus.

§. 9.

De hexametro epico et elegiaco Graeco.

Minus prospere nobis hexametrum epicum cum elegiaco comparantibus accidit Graeco in sermone, quod eorundem poetarum carmina inter se conferendi facultas data non est, quae apud Romanos quam maxime observationibus nostris favebat. Nam si excipis pauceissima trunca quaedam heroica, quae rarissima leguntur apud Phocylidem Critiam Platonem Cratetem et numero tantula sunt, ut in examen vocari vix queant, epicae reliquiae poetarum elegiacorum Graecorum ad nos non pervenerunt. Coacti igitur diversorum poetarum carmina inter se conferre, comparamus cum Homero poetas antetheognideos et Theognidem*), quippe qui ad Homericam aetatem proxime accendant, et ex libris Homericis iterum *Drobischium* secuti eligimus librum Iliadis primum et eundem Odysseae librum, quorum illius sunt, detractis versibus spondazontibus, 581, hujus 418 versus, dum poetarum antetheognideorum 271, Theognidis 685 versus leguntur.

*) Quae sub Theognidis nomine feruntur, procul dubio non ab uno eodemque poeta omnia profecta esse vix est quod moneamus; est igitur nobis unus hic poeta pro multis, quorum nomina ignoramus.

T a b u l a XXV.

Formae:	Antetheognid.		Theognis.		Iliados lib. I.		Odysseae lib. I.	
dsss	1	0,4	2	0,3	7	1,5	3	0,7
dsds	14	5,1	40	5,8	34	5,9	26	6,2
dssd	6	2,2	43	6,3	14	2,4	7	1,7
dsdd	48	17,3	122	17,8	95	16,4	72	17,2
ddss	4	1,4	9	1,3	5	0,9	8	1,9
ddds	6	2,2	33	4,8	51	8,8	30	7,2
ddsd	12	4,3	30	4,4	29	5,0	20	4,8
dddd	51	18,4	86	12,6	117	20,1	74	17,7
sdss	2	0,7	3	0,4	10	1,7	5	1,2
sdds	18	6,5	39	5,7	32	5,5	39	9,3
sdsd	6	2,2	27	3,9	12	2,1	16	3,8
sddd	48	17,3	126	18,4	101	17,4	49	11,7
ssss	1	0,4	2	0,3	3	0,5	1	0,2
ssds	11	4,0	29	4,2	20	3,4	19	4,5
sssd	9	3,2	21	3,1	5	0,9	10	2,4
ssdd	40	14,4	73	10,7	46	7,9	39	9,3
	277	100	685	100	581	100	418	100
Principia dactylica	142	51,3	365	55,3	352	60,6	240	57,4
- spondiaca	135	48,7	320	46,7	229	39,4	178	42,6
	277	100	685	100	581	100	418	100
Summa dactylorum	745	67,2	1794	65,5	1624	69,9	1116	66,7
- spondeorum	363	32,8	946	34,5	700	30,1	556	33,3
	1108	100	2740	100	2324	100	1672	100
Versus dactylici	165	59,5	397	57,9	393	67,64	245	58,6
- spondiaci	24	8,7	57	8,3	45	7,75	38	9,1
- aequi	88	31,8	231	33,7	143	24,61	135	32,3
	277	100	685	100	581	100	418	100
Clausulae monosyllab.	13	4,7	17	2,5	11	1,8	12	2,7
- bisyllab.	92	26,5	260	37,4	157	25,7	137	30,9
- trisyllabae	127	51,9	310	44,7	279	45,7	211	47,5
- quadrisyllab.	33	11,9	90	12,9	119	19,5	56	12,6
- quinque s.	14	5,0	17	2,5	45	7,3	27	6,1
- sex syllab.	—	—	—	—	—	—	1	0,2
	279*)	100	694*)	100	611*)	100	444*)	100

Paullo majorem appetet intercedere apud Graecos inter versum heroicum et elegiacum discrepantium quam apud Latinos, quae partim sane eo explicatur, quod diversorum poetarum carmina conferenda erant, partim arte metrica minus exulta.

*) Adjecti sunt versus spondiazontes.

Pervenisse enim constat poetas Latinos et praeter ceteros Ovidium ad tantum perfectionis gradum, ut dactylica pentametri natura structurae hexametri dactylicae nihil officeret. Id qui in universum affirmaret de poetis Graecis, erraret. Clarissime docet tabula XXV naturam Iliados versuum, cum plurimis versibus dactylicis referta sit, maxime recedere ab hexametro elegiaco, Odysseae autem versus, quippe qui minus dactylice structi sint, exaequare versus antetheognideos et theognideos. Principia dactylica, quae praeter cetera numerum dactylicum parere antea demonstratum est, plurima leguntur in Iliade, pauciora in Odyssea, paucissima in poetis elegiacis, quamvis summae dactylorum et spondeorum apud omnes hos poetas fere pares sint. Quod clausulae non eandem exhibent in Graecis versibus discrepantiam, quam intercedentem vidimus in Latinis, in eo positum est, quod clausulae bisyllabae non ita polysyllabas exsuperant in illis ut est in his. Favent potius Graeci clausulis trisyllabis, quae in elegis et in carmine heroico aequre frequentes leguntur. His expositis apparet, intercedere inter hexametrum epicum et elegiacum Graecum majorem sane discrepantiam quam inter eosdem versus Latinos, at talem esse quae apud Graecos quoque minoris sit momenti, ita ut optimo jure hexameter elegiacus Graecus plurimis nominibus aequare hexametrum epicum dicatur.

C a p u t IV.

De figuris metricis et collocatione metrica.

§. 10.

De anaphora et antithesi metrica, de chiasmo metrico.

Quo saepius inter verborum figuras repetitio (*ἀναφορά*) et in eorum collocatione decussatio (*χιασμός*) reperiuntur et quo minus, quantopere et orationis et poeseos vim augeant dictionemque ornent, cuiquam ignotum est, eo magis mirandum, quod metrorum repetitio et decussatio haud unquam dignae visae sint, quae commorentrur. Non minus enim hae metri quam illae sermonis praestantiam efferunt et veteres, quorum aures erant capacissimae metricarum elegantiarum, procul dubio venustatem metri, figurarum et collocationis aequre sentiebant atque verborum. Quodsi quaeris, utram metricae hae figurae et collocationes consilio an fortuito ortae sint, quod valet de oratoribus, idem de poetis valere mihi videtur. Sicuti

verus orator sua sponte suo loco apta repetitione et decussatione utitur, poeta quoque longe plurimis locis inscius metricas illas figuratas apto loco effundit. Ut auditorum Germanicorum aures extremorum verborum simili sonitu permulcentur, sic cum Graeci, tum Romani rhythmicis illis leporibus delectabantur, quos rarissimos, ne dicam nullos a Viris doctis praedicatoris esse observamus.

Dicamus priore loco de repetitione metrica. Quantum video duplex est repetitio: aut simplex metri aut metri et verborum repetitio, quarum illa longe frequentior hac obversatur. Alterius, quam secundo loco posui, exempla affero haec, ex Fastis (IV, 723 et 725 et V, 263 et 265) desumpta:

Certe ego de vitulo cinerem stipulasque fabalis...

Certe ego transilui positas ter in ordine flamas...

et Si bene floruerint segetes, erit area dives:...

Si bene floruerint oleae nitidissimus annus:....

Adde Epp. ex P. IV, 7, 19 et 21.

Longe frequentior est simplex metri repetitio, cuius exemplum infra sequitur hoc, quod legitur in Epistulis (XII, 125, 127, 129):

Quaeque vomet totidem fluctus totidemque resorbet,

Sospes ad Haemonias victorque reverteris urbes:

Quid referam Peliae natas pietate nocentes

Cum his versibus comparari possunt ejusdem epistulae versus 133 et 135:

Ausus es ... o! justo desunt sua verba dolori ...

Justa domo cessi natis comitata duobus.

et ibid. 193 et 195:

Redde torum, pro quo tot res insana reliqui:

Non ego te imploro contra taurosque virosque,

Eadem forma *dsss*, quam in prioris commentationis tabulis XV et XVII frequentatissimam esse demonstravimus, ex. gr. in Epp. ex P. II, 1, 23 sqq. quinque redit. Pleno gradu vel potius pleno versu ut ita dicam ingreditur poeta et repentinus et necopinatus in eundem numerum delabitur. Inde ex mea quidem sententia explicatur, quod haud raro metra, quae apud hunc illum poetam alias rarissima leguntur, aliquoties sese excipiunt, veluti apud Propertium bis forma *sssd* (IV, 13, 13 et 15) et bis forma *ddsd* (IV, 17, 9 et 11) redit. Affero nonnullas repetitiones metrorum minus usitatorum, quae bis vel ter redeunt:

dddd: Ov. Fast. IV, 43 et 46. 661 et 663. Trist. III, 1, 77 et 79.

dsdd: Ov. Fast. VI, 613, 615, 617.

ssss: Ov. Trist. III, 1, 65 et 67. V, 6, 41 et 43.

sssd: Ov. Epp. ex P. I, 4, 39 et 41.

sdss: Ov. Fast. I, 173 et 175. Epp. ex P. I, 4, 51 et 53.

sdds: Ov. Fast. VI, 15 et 17. Epp. ex P. I, 6, 45 et 47.

Facillime exempla coacervari et locis aliorum poetarum allatis augeri possunt, sed sufficient hujus usus documenta ex poetarum principe desumpta; hoc autem silentio praeterire nolumus, ut singulorum hexametrorum, sic totorum distichorum metricam reperiri repetitionem. Afferimus nonnulla exempla ex Epp. ex Ponto, veluti I, 3, 23 sqq.:

Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis,
Cura quoque interdum nulla medicabilis arte:
Aut, ut sit, longa est attenuanda mora.

ibid. 37 sqq.:

Quid melius Roma? Scythico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Cum bene sit clausae cavæ Pandione natae,
Nititur in silvas illa redire suas.

ibid. 75 sqq. 4, 47 sqq. 5, 71 sqq. 6, 45 sqq. 9, 41 sqq. II, 1, 27 sqq. 49 sqq. 2, 109 sqq. 4, 23 sqq. 7, 11 sqq. 71 sqq. 9, 51 sqq. 10, 37 sqq. 11, 21 sqq. III, 1, 47 sqq. 61 sqq. 69 sqq. 85 sqq. 99 sqq. 127 sqq. 2, 1 sqq. 3, 47 sqq. 4, 47 sqq. 105 sqq. 9, 15 sqq. IV, 6, 45 sqq. 7, 19 sqq. 29 sqq. 8, 65 sqq. 73 sqq. 87 sqq. 9, 101 sqq. 10, 25 sqq. 12, 29 sqq. 13, 31 sqq. 37 sqq.

Haec sunt, nisi qua me fugerunt, distichorum metricæ repetitionis exempla, quae leguntur in Epp. ex Ponto, ea quidem non rara, sed talia, quae nusquam plura duobus distichis amplectentur. Cum igitur repetitio per tria vel quatuor vel complura disticha continuata veterum aures similitudine offendisse videatur, vituperamus, quod interpretes nostri tantum abest ut veteres poetas imitati parce ea figura utantur, ut nimis coacervata illa repetitione ubertati ac divitiis metrorum valde officiant. Sed de hac re capit is quinti § 12 accuratius dicendi erit locus.

Licet modica repetitio illa metrica poetis elegiacis Latinis et Graecis*) in

*) Anaphoræ Homeri metricæ nonnulla exempla attulit *Drobischius*, Act. Societ. Regiae Lips. 1. Juli 1868 pag. 56. Adde Theognid. v. 683 sqq.:

*Πολλοὶ πλοῦτοι ἵχονται αἴδεις· οἱ δὲ τὰ καλά
γηρούσσουν χαλεπῷ ταρίχεῳ πεντή.
Ἐρδειν δὲ ἀμφοτέροισιν ἀμηχανῆς παρίσεται.*

deliciis fuerit, nihil impedit, quominus hic illic contentiones sive contraria (*ἀντιθέσεις*) inserantur, ut hexametri dactylici prioris distichi a versibus spondiacis proximi distichi et ex contrario hexametri spondaci a versibus dactylicis excipiuntur. Prioris contentionis exemplum affero locum qui legitur in fine carminis decimi libri Amorum primi (v. 59 et 61):

Est quoque carminibus meritas celebrare puellas

Dos mea. quam volui, nota fit arte mea.

Scindentur vestes, gemmae frangentur et aurum:

cui loco addi possunt: Amor. I, 13, 33 et 35. II, 5, 41 et 43. Art. amat. III, 233 et 235. Remed. 805 et 807. Fast. II, 59 et 61. III, 501 et 503. Trist. I, 5, 67 et 69. Epp. ex P. IV, 10, 73 et 75. Prop. I, 6, 1 et 3.

Alterius contentionis, in qua formam *ssss* subsequitur forma *dddd*, exemplum legis in Propertii libri primi carmine tertio (vv. 31 et 33):

Donec diversas percurrent luna fenestras,

Luna maturis sedula luminibus,

Compositos levibus radiis patet fecit ocellos . . .

Eiusdem numeri sunt apud Propertium II, 6, 23 et 25, apud Ovidium Amor. III, 3, 37 et 39. Heroid. II, 77 et 79.

Quo accuratius hos locos examinaverimus, facere non poterimus, quin fateamur, repetitionibus et contentionibus, quas enumeravimus, colorem metricum carminibus inditum esse, qui sententiis prolatis aptissimus sit. Ab eo enim nunquam et nusquam potest recedi, verum poetam egregium quodque argumentum in optimam quamque infundere formam.

Sed jam dicendum de decussatione seu chiasmo metrico, cuius formas ita notamus, ut a dactylicis ad spondiacas transeamus. Vix est, quod commemoremus, fieri non posse, quin illae maxime a spondiacis, hae omnes a dactylicis principiis excipiuntur. Prioris generis quinque, alterius quatuor recensemus formas.

Ibid. 707 et 709, 721 et 723. Totorum distichorum repetitionem metricam legis ex. gr. apud eundem poetam v. 347 sqq.:

συλήσαντες ἔγω δὲ κύων ἐπέρηνα χαράδρη,
χειμᾶνδροφ ποταμῷ πάντ' ἀποστούμενος
τῶν δὲ εἴη μέλαν αἷμα πιεῖν ἐπὶ τὸ θύλας ὄφοιτο
δαιμόν, δε κατ' ἔμον τοῦν τελέσει τάδε.

Adde 453 sqq.

2*

1) Formae *dsds* comes est forma *sdsd*:

Prop. I, 13, 19 et 21: Non ēgo cōplexūs pōtnī dīducere vestros:

Non sic Haemōnīo Salmonīdā mixtus Enipeo.

Adde: Prop. I, 20, 17 et 19. II, 9, 47 et 49. IV, 22, 3 et 5. Ov. Fast. II, 703 et 705. Trist. II, 413 et 415. V, 4, 35 et 37. Epp. ex P. II, 5, 9 et 11.

2) Formam *dsdd* subsequitur forma *ddsd*:

Ov. Trist. II, 517 et 519: An gēnūs hoc scripti faciunt sūa pulpita tutum,...

Et meā sunt populo saltatā poemata saepe,....

Adde eorundem carminum V, 11, 1 et 3. 15 et 17. 14, 33 et 35.

3) Formam *sssd* praecedit forma *dsss*:

Ov. Ibis 191 et 193: Hic ērīt, rāmōs frustra qui captet, et undas: ...

Nec mortis poenās mōrs altērā finiet hujus,...

Adde Heroid. 12, 173 et 175. Epp. ex P. IV, 8, 57 et 59.

4) Forma *ddss* comitatur formam *ssdd*:

Ov. Amor. II, 7, 5 et 7: Cāndidā seu tāctō vidit mē femina vultu,...

Si quām laudāvi misērō pētīs ungue capillos....

Adde Prop. V, 9, 67 et 69. Theogn. 173 et 175. Aetol. 2, 1 et 3.

5) Forma *sddd* sociam se adjungit formae *ddss*:

Callim. 14, 3 et 5: ἄπνοα πάντ' ἔγενοντο παραχρῆμ' οσσα τ' ὀδόντων,...
ζαὶ τῶν οὐδὲν ἔμεινεν εἰς αὔριον· οσσα δ' ἀκονάς...

Jam apponimus his formis dactylicis eas, quae a spondeo incipiunt:

1) Formam *sdsd* subsequitur forma *dsds*:

Ov. Ars am. I, 151 et 153: Et si nullus erit pulvis, tāmēn excute nullum:

Pallia si terra nimium demissa jacebunt.

Adde ejusd. poetae Fast. I, 267 et 269. Epp. ex P. III, 3, 41 et 43. IV, 1, 3 et 5. 16, 27 et 29. Prop. II, 1, 3 et 5.

2) Formae *ssdd* comitem se adjungit forma *ddss*:

Ov. Amor. II, 2, 61 et 63: Quid dispar certamen īnis? tibi verbera victo....

Non scēlus ad grēdimur, non ad miscenda coimus..

Adde Ov. Fast. V, 79 et 81. VI, 215—217. Epp. ex P. IV, 8, 53 et 55. 12, 43 et 45. Trist. II, 437 et 439.

3) Formam *sssd* subsequitur forma *dsss*:

Ov. Remed. Am. 55 et 57: *Vixisset Phyllis, si mē fōrēt usa magistro, . . .*
Nec mōriens Didō summa vīdisset ab arce.

Ibid. 213 et 215. 501 et 503. Trist. II, 459 et 461. IV, 1, 5 et 7. 10, 71
et 73. Prop. II, 31 et 33. III, 18, 11 et 13.

4) Formae *sddd* socia est forma *ddds*:

Prop. II, 8, 3 et 5: *Nullae sunt inimicitiae nisi amoris acerbae: . . .*
Pōssum ēgo in alterius pōsitam spectare lacerto?

Addo Ov. Amor. III, 11, 41 et 43. Art. am. II, 225 et 327. Heroid. 12, 145
et 147. Solon. 2, 1 et 3.

Sed tantum abest, ut omnia quae de chiasmo dicenda sint exsecuti simus,
ut multa nondum commemoraverimus. Sedecim enim hexametri formarum omnes
eae hic referendae sunt, quae a dactylo incipientes spondeo clauduntur et alteras
formas habent subsequentes, quae a spondeo incipientes dactylo clauduntur. Cum
exemplis optime omnia illustrentur, jam hic appono nonnullas hujus generis formas:

1) Forma *sssd* comitem sibi adjungit formam *ddds*:

Ov. Amor. III, 6, 15 et 17: *Nunc optō currūm, de quo Cerealia primum . . .*
Prodigiosa loquor vēterū mēndacia vatum.

Addo Epp. ex P. II, 3, 73 et 75. Prop. I, 15, 17 et 19. Theogn. 413 et 415.

2) Forma *dsss* copulatur cum forma *sddd*:

Trist. I, 5, 21 et 23: *Ut fōrēt exemplūm verī Phōceus amoris . . .*
Si non Euryalus Rūtūlos cecidisset in hostes, . . .

3) Formam *sddd* subsequitur forma *dsss*:

Catull. 104, 1 et 3: *Credis mē pōtuissē mēae māledicere vitae, . . .*
Non potui, nec, si possem, tam perdite amarem.

Addo Prop. IV, 6, 63 et 65. Ov. Epp. ex P. III, 6, 15—17.

4) Forma *ddds* comitem sibi sumit formam *sssd*:

Prop. I, 17, 15 et 17: *Nonnē fuit lēviūs dōminaē pēvincere mores . . .*
Quām sic ignotis cīcumdatā litora silvis . . .

Addo Ov. Epp. ex P. II, 11, 1 et 3.

Distant sane hae formae modo enumeratae a prioribus, sed majore vel minore
dactylorum et spondeorum numero, non genere differunt, in chiasmo enim metrico,

quem vocamus, cum omnia nitantur in versuum principiis et clausulis, has formas, quas ultimo loco posuimus, omnino non dissimiles esse iis, quas supra commemo-ravimus, neminem potest effugere.

Sed quamvis his expositis uberrimas varietates hexametri elegiaci, qui modo repetitiones modo contentiones modo decussationes insertas exhibet, ab omni parte minime consideraverimus, tamen ex paucis iis quas attulimus, conjici potest, venustatem et pulchritudinem distichi in illis mutationibus quam maxime niti, quae satis juste nondum aestimatae sunt. Minime mirum id quidem! Ubi legentium animi argumento tenentur, facillime fit, ut formam negligentia praetereant, et tamen sola ea explicatio, quae quam accuratissime distichon in ossa dissolvit, nos potest docere, quomodo factum sit, ut antiquae poeseos numeri, id quod in praefatione diximus, non solum orbem terrarum affectaverint, sed expugnaverint. Sed hisce ex uberrimis formis ad tantam perfectionem proiectis quam paene inexsuperabiles difficultates ei, qui iisdem numeris veteres poetas elegiacos interpretari conatur, nascantur, cum id agere studet, ne deteratur quod cujusque poetae proprium sit, demonstrandi potestas postea data erit. Atqui ea omnia, quae disputamus, pertinent ad meram osteologiam, quam vocat *Drobischius*; quantopere augeantur necesse est difficultates interpretationis, ratione syndesmologiae*) habita!

§. 11.

De pentametris similiter consonantibus).**

Ab hexametro elegiaco, quem praecedente' paragraphe illustravimus, transimus ad ejus quasi uxorem, quam vocat *Otofredus Muellerus*, et tractabimus pentametros in medio et fine similiter consonantes. Hexametros quoque similiter consonantes reperiri notissimum est, de quibus *Guilielmus Grimm* qua fuit sagacitate egregie egit in Actis Societatis Regiae Berolinensis anni hujus saeculi LI pag. 521 seqq. Vir ille doctissimus cum diversa versuum consonantium genera tractaret, facere non potuit quin de pentametro quoque dissereret. Neque diversis illis generibus neque stupenda poetarum multitudine, quibus insignis est illa commentatio, in

*) Nonnulla ad hexametri syndesmologiam spectantia eleganter scripsit *Adolphus Brieger* in libello scholae Posnaniensis (anni 1866) pag. 22 sqq. et passim *O. F. Gruppe*, deutsche Uebersetzerkunst.

**) Cum de magna illa discrepantia, quae intercedit inter linguae Latinae et Germanicae versus similiter consonantes, tam egregie disseruerit *Gruppe* (l. l. pagg. 2 et 291 sub finem), non est quod dicamus, id quod nos dicimus „Reim“, valde differre a Graecorum et Romanorum versibus, quorum clausulae inter se consonantes sunt.

nostris observationibus cum viro praeclarissimo concertare nobis in animo est, aliud enim nobis proposumus. Tractabimus pentametros in medio et in fine consonantes — hoc enim genus praeter cetera in aures audientium incidit — et ita quidem ut demonstremus, quatenus veteres poetae versum id genus consonantium sensu moti sint, seu quod eodem redit, utrum consilio versus consonantes scripserint necne. Sed priusquam exquirendi facimus initium, id monitum volumus, nos in similiter consonantium versum numero non referre eos, qui medii et extremi exeant in syllabus imparis mensurae, veluti illud Ovidianum, quod legitur in Heroidibus (XI fin.):

Perfer! mandatis perfruar ipse patris.

vel quod est in Amoribus (II, 8, 24):

Unumst e dominis emeruisse satis.

vel Catullianum illud (LVIII, 52):

Scitis, et in quo me corruerit generē.

et quae similia leguntur: Ov. Epp. ex P. IV, 9, 18. Fast. IV, 62. 94. 750. 908. V, 526. Amor. II, 9, 20, 54. 14, 28. III, 2, 54. Trist. V, 2, 26. V, 4, 30. 13, 32. V, 14, 24. Ibis 630. Tib. I, 1, 62. 3, 44. 6, 54. Prop. I, 12, 14. 17, 2. II, 1, 14. 5, 13. III, 34, 50. IV, 18, 20. 19, 2. Theogn. 390.

At tales pentametros recepimus, qualis legitur ex gr. apud Propertium II, 1, 44:
enumerat miles vulnera, pastor oves,
quia miles ultimam syllabam hoc loco positione producit.

Tripli modo quantum video nascuntur versus similiter consonantes, quorum qui propter frequentiam primum obtinent locum, formantur paribus nominibus, qui alterum paribus verbis, denique qui ultimum tenent locum pari et nominum et verborum exitu pariuntur.

Primi generis tot exempla quavis poematum elegiacorum pagina leguntur, ut singula afferre supersedere possimus. Rarius est alterum genus, cuius sunt loci veluti hi: Ov. Her. 6, 60:

Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero.

et ibid. 64: Cetera te memini non potuisse loqui.

Adde Fast. III, 328: Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Ibid. III, 676. IV, 222. Prop. III, 26, 28.

Rarissimum genus est ultimum, in quo nomen et verbum exitum similiter consonantem efficiunt. Affero Ov. Heroid. 7, 108:

Ipse sono tenui dixit: Elissa veni!

Adde Heroid. 8, 24. 110. Trist. V, 3, 6. Fast. IV, 594. VI, 28. 30.

Considerantibus nobis pentametrorum singulorum structuram multi sane occurunt versus, quos poeta, si voluisse, consonantes efficere potuisse. Cur dixit Ovidius ex. gr. in Heroidibus (15, 182): Vix populum tellus sustinet illa suum, nisi voluit consonantem pentametri exitum vitare, cum facilluma mutatione dicere posset: Vix tellus populum sustinet illa suum? Cur non mutavit Tibullus (I, 4, 12) suum: hic placidam niveo pectore pellit aquam: in: hic niveo placidam pectore pellit aquam? Nonne consulto vitavit Propertius versum similiter consonantem, scribens (I, 15, 42): O nullis tutum credere blanditiis? Ejusdem generis sunt, ubi paullo accuratius examinaveris, hi loci:

Ovid. Amor. I, 10, 10. 15, 10. II, 9, 18. 10, 18. III, 5, 12. Remed. Am. 136. Art. amat. I, 482. 590. 660. II, 70. III, 38. 620. Fast. I, 24. 518. II, 144. 146. 690. 772. III, 764. 846. 874. Trist. I, 1, 120. 3, 40. II, 368. 454. III, 3, 56. 4, 26. 5, 44. 54. 14, 10. 28. 45. IV, 2, 54. 4, 38. V, 1, 6. 2, 58. 62. 7, 64. 10, 14. Epp. ex P. I, 3, 44. 4, 34. 8, 56. II, 2, 88. 3, 36. 68. 5, 34. 8, 20. III, 2, 40. 76. IV, 4, 26. 6, 26. Ibis 64. Tib. II, 5, 10. 114. Prop. I, 20, 40. II, 1, 74. III, 24, 52. IV, 10, 2. 18, 32. 19, 10.

Omnis hi loci, quorum numerus additis paucis quibusdum, qui nos effugerunt, paullulo augeri potest, testari videntur, quod praecipit *Fiedlerus* in libro, qui est de arte metrica linguae Latinae pag. 58, pentametros consonantes vitandos esse. Ita videri potest; at omni ope enitendum est, ut error iste tollatur. Duplici enim ratione refutatur *Fiedleri* praeceptum. Ac primum quidem metrica ratione. Demonstravimus, ut nihil dubii relinquatur, in priore nostrarum observationum parte poetas elegiacos Latinos id praecipue studuisse, ut in capite hexametri et pentametri unum vel plures dactylos collocarent. Quod si memoria tenuerimus, luculenter apparebit, cur multos versus, quos supra attulimus, poetae tales considerint et δύοιοτέλευτον vitaverint. Sic scripsit Ovidius, ut ex allatis locis nonnullos eligamus, Fast. II, 146:

Et liquidas mixto nectare fundit aquas,
ne, si scripsisset: et mixta liquidas, spondiacum faceret principium, optione aut dactylum aut spondeum eligendi data. Sic eadem ratione permotus dicit Tibullus II, 5, 114:

Praemoneo, vati parce, puella, sacro.

sic Propertius IV, 10, 2:

Ante meum stantes sole rubente torum.

Sed longum est, omnes allatos locos ita recensere. Hoc constat, poetas veteres rhythmum praeter ceteras res curasse, nam sermo Latinus et Graecus totus est rhythmicus. Ubi autem numerus non intercedit, quominus pentametri similiter

desinentes sint, fere omnes exitum cum medio versu consonantem exhibent. Nos non vana, sed vera contendere, optime collatio, quae nititur in adhibitis numeris, demonstrabit. Accurata pentametrorum consonantium descriptio poetarum Graecorum et Latinorum hae tabula continetur:

T a b u l a XXVI.

	Poetae:	Carmina:	Vers. conson.	Vers. non cons.
Poetae Graeci:	Theognis		86	12,4
	Antetheogn.		31	11,1
	Posttheogn.		76	18,1
Poetae Latini:	Catullus:	c. 65—67	22	25,6
		c. 68	22	27,5
		c. 69—116	24	15,1
	Tibullus:	I, 7. 4. 9. 8. 10	39	20,6
		I, 1. 3. 5. 2. 6. II.		
		IV, 2—7. 13. 14	111	21,9
		III, 1—6	23	15,9
	Propertius:	lib. I.	101	28,6
		lib. II.	44	24,9
		lib. III.	122	24,2
		lib. IV.	144	29,1
		lib. V.	191	40,2
Ovidius:	Amores	278	22,7	947
	Epistul. { genuin.	304	24,3	948
	spur.	160	22,1	564
	Ars amat.	268	23,0	905
	Remed. am.	93	22,8	314
	Medic. fac.	10	20,0	40
	Fasti	559	22,5	1926
	Tristia	394	22,3	1372
	Epp. ex P.	347	21,8	1248
	Ibis	80	24,9	241

Observamus igitur plus quintam partem, fere quartam partem inter centenos versus esse pentametros similiter consonantes, immo in Propertii quinto libro, quem arte esse perfectissimum §. 5 prioris partis demonstravimus, versum consonantium et non consonantium rationem esse 2:3, mathematicorum rationem si sequimur. Cum autem tanta apud optimos poetas sit versum similiter consonantium copia, injuria fit, ut dispiceant. Statuendum potius est, poetas elegiacos, nisi forte ratione metrica impedirentur, versus consonantes et non consonantes

promiscue admisisse idque eo minus vitare potuisse, quo magis epitheta a substantiis ita sejungere studerent, ut alterum in fine prioris, alterum in fine alterius partis collocarent.

Facile praeterea potest observari, poetis Latinis displicere in pentametris collocationem adjectivorum, quae fit decussatim. Verentur igitur, optione data, dicere, ut versu supra commemorato utamur:

Vix tellus populum sustinet illa suum
sed altero adjectivo a substantivo suo sejuncto alterum adjectivum cum substantivo inseritur:

Vix populum tellus sustinet illa suum.
Hoc collocandi usu permotus scripsit Tibullus:

Hic placidam niveo pectore pellit aquam
non autem decussatim:

Hic niveo placidam pectore pellit aquam.
Adjungas his locis: Tib. I, 3, 60:

Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Ov. Epp. ex Ponto II, 2, 56:

Non est confessi causa tuenda rei.
Cf. Tib. I, 1, 10. Ov. Trist. III, 10, 72. Fast. III, 558. IV, 770. Amor. I, 13, 8.
Epp. ex P. II, 1, 26 etc.

Constat. Ovidium, poetarum principem, si versus similiter desinentes sprevisset, numquam scripturum fuisse carmen, quale legitur septimum libri Amorum primi, in quo inde a versu quadragesimo usque ad finem inter quindecim pentametros, novem sunt similiter consonantes.

Facile ex schedis nostris cumulare possumus locos, sed sufficiat paucos commemorare: Amor. I, 10, 44 et 46. 14, 52—56. II, 2, 10, 16, 22, 54. II, 10. III, 7, 9, 2, 6, 14 sqq. 10 init. Art. amat. I, 528 sqq. II, 114 sqq. 364 sqq. III, 136 sqq. 194 sqq. Trist. IV, 10, 80 sqq. Fast. III init. et 267 sqq. Remed. Am. 177—186. Tibull. I, 10, 22 sqq. 6, 68 sqq. II, 1, 26 sqq. II, 3, 43—56. Prop. I, 6, 15. II, 1, III, 19, 20 sqq. 20, 14 sqq. III, 33, 4 sqq. IV, 9, 44 sqq. 12, 13. V, 1 sqq. 5, 4 sqq. 11, 26 sqq. Omnibus his locis complures pentametri similiter consonantes sese excipiunt, sed reperiuntur etiam disticha, quorum non solum pentametri sed etiam hexametri sint in fine similiter consonantes, veluti Art. amat. I, 310—314:

Sive virum mavis fallere, falle viro!
 In nemus et saltus thalamo regina relicto
 Fertur, ut Aonio concita baccha deo.
 A quotiens vaccam vultu spectavit iniquo
 Et dixit: domino cur placet ista meo?

Adde ejusd. carmin. I, 206—208. Fast. V, 156—158. Quomodo denique, ut hujus disquisitionis finem adducamus, quomodo explicari potuisset, quod Naso scripsit Fast. II, 156: Callisto sacri pars fuit una chori pro: sacri Callisto pars etc. si homoeoteleuto offensus esset? Contra si poeta homoeoteleuton praetulisset, Epp. ex P. I, 3, 44 non scripsisset: Fomentis speras cedere posse tuis, sed: speras fomentis etc. et sic plurimis aliis locis, ubi principium dactylicum non obstat, quominus homoeoteleuton vitetur. His demonstratis repeto, quod dixi, censendum esse: Poetas versus similiter cadentes neque sprevisse neque iis favisse.

C a p u t . V.

De disticho Germanico.

§. 12.

De elegis in Germanicum translatis.

Quo diligentius hac et priore commentatione carminum elegiacorum formas ea saltem metrica ratione habita, quam osteologiam dicit *Drobischius*, excussisse earumque elegantias illustrasse nobis videmur, eo facilius oritur quaestio, quatenus exemplaribus antiquis respondeant vernaculae interpretationes eodem metro confectae. Ut certum de hac re judicium haberemus, accuratam hanc quaestionem instituimus, quam in observationibus nostris perscripsimus, qua instituta nos sermone arrogantiae pleno uti non putamus, si contendimus, formarum structuram et elegantias veterum poetarum — consulto tacemus hoc loco de argumento — a nulla translatione exaequari. Dum interpres pernicioso isto errore perducti negant, disticha inter se discrepare, non solum poetarum Graecorum artem valde distare a Latinorum, sed etiam poetas Latinos inter se multum arte differre plane neglexerunt, ne dicam de leporibus et facetiis formae, quas §. 9 illustravi. Catullum aliis distichi formis atque Tibullum et Propertium usum esse et tres illos poetas

3*

satis distare ab Ovidio priore commentatione demonstravimus. Quod ibi plenius atque latius perscrupsimus, hoc loco coartantes. proxima tabula eas formas, quae singulis poetis praeter ceteras in deliciis fuerunt, apponimus, ita quidem ut eae quibus maxime faverint primum, quibus minus, secundum vel tertium vel quartum obtineant locum:

T a b u l a XXVII.

Poetae:	Hexametri.	Pentametri.
Tyrtaeus	dsdd et ssss	
Mimnermus	dsdd, dddd, sddd, ssdd	Graeci omnes;
Xenophanes	dddd, sdds, sddd	ds et ss
Solon	dsdd, ssdd, sddd, dddd	
Theognis	sddd, dsdd; dddd, ssdd	
Catullus	dsss et ssss	ds et ss
Tibullus	dsss, dsds, ddss	
Propertius	dsss, sdss, dsds, ddss	ds et dd
Ovidius	dsss, dsds, dsss, ddss	

Haec formarum structura, cum non in singulis, sed in omnibus, uti supra demonstravimus, carminibus eadem compareat, ut poetae cujusque propria est quod attinet ad argumentum, quod tractat, ita haud minimam partem efficit, ut nobis non sentientibus carmina veterum tantopere placeant. Dum autem ii, qui in sermonem patrium hōrum poetarum libros transferunt, accuratam formarum antiquarum translationem negligunt, factum est, ut earum proprietatem et deleverint, et insciī corruperint, numero dactylico ex. gr. carminibus magis spondiacis et spondiaco carminibus magis dactylicis ut ita dicam inculcato. Cum breve et efficax sit iter per exempla, longum per praecepta, et proximi et hujus saeculi virorum doctorum interpretationes cum exemplari antiquo collatae optime comprobabunt, quid sentiam. Eligo carmen quod est ex praestantissimis Musae Tibullianae, tertium dico libri primi, et comparo id cum translationibus *auctoris non nominati* (Turici 1783), *Strombeckii* (Gottingae 1799), *Koreffii* (Lutetiae Parisiorum 1810), *Vossii* (Stutgardiae 1810), incerti auctoris, ut videtur *Aloysii Baueri* (Ratisbonae 1816), *Ernesti Güntheri* (Lipsiae 1825), *Gruppi* (roemische Elegie, Lipsiae 1838), *Leopoldii* (in libello scholae Budissinensis 1852), *Teuffelii* (Stutgardiae 1853), *Binderi* (ibidem 1862), *Eberzii* (Francofurti ad Moenum 1865).
